GODEFRIDUS ADMONTENSIS

Admont, um 1160 Seite 133r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25955
Copyright: Admont, Benediktinerstift



proximi. ante omnes uirtutes tanquam eminentiorem et excellentiorem
super induere oportet. Item alio modo potest intelligi quod ait calicem
quidem meum bibetis. sedere autem ad dexteram meam uel sinistram non est meum
dare uobis. sed quibus paratum est a patre meo. Uos inquit apostoli mei. qui
me omnia relinquendo secuti estis. calicem meum bibetis. id est passionis
mee imitatores eritis. sedere autem ad dexteram et sinistram meam non est
meum uobis dare. quia presentis uite prospera quod est sinistra. et futura bo
na quod est dextera insimul habere non potestis. neque debetis. uenient
illi quibus paratum est hoc a patre meo. quia uobis per persecutorum
manus occisis. et ad dexteram meam ad requiem uidelicet sempiternam
translatis. erunt in ecclesia mea illi fideles. qui ad dexteram et sinistram
meam sedebunt. qui presentia et futura bona in regno meo posside
bunt. Certe beatus Siluester. GREGORIUS. MARTINUS.
aliique confessores. quasi ad dexteram et sinistram domini sedebant. qua
licet occulto martyrio se ipsos cottidie domino immolarent. tamen
tempora eorum tempora erant pacis et prosperitatis. dissimilia temporibus
apostolorum et martyrum. quando persecutio talis erat. ut nullus nomen christi
aperte confiteretur. quin statim morti traderetur. et illi beati con
fessores de sinistra idem de temporali quiete. ad dexteram idem ad
futuram beatitudinem transierunt. quia hoc illis paratum erat a pa
tre. apostoli uero et martires in regno domini in presenti scilicet uita. multa mala
sustinuerunt. et futura bona. sine fine permanentia inuenerunt. Hec
de euglica lectione. quantum donante domino potuimus. breuiter perstrinxi
mus. que bene de tanto uiro. in cuius corde tanta erat dulcedo leguntur.
per que et nos admoniti proficere studeamus. ipsum sanctum domini apostolum IACOBUM
sedulo implorantes. ut illud summum bonum dulcedinis christi quod hic
gustare cepit. et in plenitudine iam accepit. nos hic et in futuro
participari mereamur. per ipsum sponsum ecclesie ihesum christum. Qui cum
patre et spiritu sancto uiuit et regnat per omnia secula SECULORUM AMEN.